



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **ERGA ALMAM*** TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS
CATHEDRALIS ECCLESIA MARIANENSIS DECORATUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Erga almam Deiparam
pietatis sedes inclita esse perhibetur cathedralis ecclesia Marianensis, quippe ubi vetus nobilisque imago eius, quae est
«decor Carmeli», impensis populi excolatur obsequiis. Quod ob singulare studium religionis, Beata Maria Virgo,
simulacro illa expressa, a Ioanne Pp. XXIII, Decessore Nostro rec. mem., urbis Marianensis renuntiata est caelestis
Patrona, ac paulo post effigies ipsa, nomine et auctoritate eiusdem Summi Pontificis, inter potestatum, cleri, fidelium vota
et plausus, aureo diademate redimita. Ad has vero laudes accedit templi ipsius magnificentia, siquidem molis amplitudine
commendatur pretiosisque refulget metallis et aliis ornamentis. Ad quod efficiendum multum contulerunt sollertia sua
sacrorum Antistites et administri, stipe erogata Christifideles, ipsi olim Lusitaniae Reges munificentia sua. Haec igitur
aula Mariae, vetustate quoque insignis, quae anno MDCCXLV honore cathedralis templi fuit donata, anno vero
MCMVI Metropolitanae ecclesiae titulo aucta, admirationem movet et inter paeclara monumenta
Civitatis, cui nomen «Minas Gerais», obtinet locum. Sacri demum ritus ibi eorum decore peragi
dicuntur, qui domus Dei decet sanctitatem. Quae omnia reputans cum animo, Venerabilis Frater
Ansgarius de Oliveira, Marianensis Archiepiscopus, vota quoque significans cleri et fidelium suis
curis commissorum, ac civilium Auctoritatum, imprimis Iosephi de Magalhaes Pinto, praedictae
Civitatis Moderatoris, Nos rogavit, ut eidem principi templo Basilicae Minoris nomen et ius benigne
tribueremus. Quibus precibus libenter admissis, Nos e Sacrae Rituum Congregationis consulto,
certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum
Litterarum vi perpetuumque in modum cathedralem ecclesiam Marianensem, Deo in honorem
Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae consecratam, ad dignitatem *Basilicae Minoris*
evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae sacris aedibus eodem nomine appellatis
rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes
praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos
atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et
in posterum plenissime suffragari; sicque rite indicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc
et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter
attentari contigerit.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Novembris, anno
MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 8, pp. 516-517

© Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana